Frid. Zamell

DIOXIPPUS EXMANGONE

Sive

Gothuniæ celebratio.

ELBINGÆ Typis Bodenhausianis
Anno M. DC. XXXV.

Ad Illustriss: Regni Svet. Proceres.

OTia diligimus, sed non ignava, Poetæ:
Queis liquet exactos non periisse dies.
Hactenus, ô Proceres, genitalia diximus arva:
Gentis ad Arctoæ nunc ego vertor opes.
Integra si vestro præstabitis otia Vati;
Crescet ab ingenio gloria vestra meo.

GEnus Dioxippi Liguris nobilissimum esse affirmabat Hermogenes: quem Dioxippus jam tum in patriâ familiarem habuerat, nunc cum literis ad me Hirciumq; è Gothuniâ miserat. Me percontante præfabatur isdem: majores illius cives è Rep. Catanæ amplissimâ laude fuisse omnes. Alexandrum avum à consangvineâ Adurniorum gente invitatum Siciliâ Liguriam primum mutasse. Cùm enim ad maximarum opum splendorem summæ prudentiæ opinio accessisset, corruptis civium moribus hunc unum repertum esse, qui leges conderet. Quamtâ invidiâ flagraverit vir innocentissimus, quòd pleriq; inertes improbiq; essent, paucis in magnâ civitate firmis & rectis, esse conjicere. Vertisse propterea solum, nec Genuæ expertem honorum vixisse: in quos æquè atq; in fortunas successerit Otho filius patre dignus. Verùm, ut solet, cùm & illic res secundæ suos invenissent latratores, suggillantibus primùm, ac patrem Othonis summo genere natum terræ filium per calumniam Fregosiis nominantibus, machinam deinde cudisse ipsos, quo urbe eum pellerent.] Copriam quemdam fuisse Sardum plenum probri, qui repetundarum illâ in insulâ postulatus, atramentoq; sutorio absolutus Genuam se contulerit. Eâ in urbe ubi se in Fregosiæ domûs clientelam gratiamq; conciliaſ-

ciliaſ-

ciliaſſet, multùm ejus ope uſos, qui Othoni adverſabantur. Nam & profugum Alexandrum è Siciliâ palam adeoq; inter canalicolas dictitaſſe: & confictis rationibus, quaſi contraxiſſet pater, æs ingens alienum ab Othone exegiſſe; factione cui ad hærebat, cauſam ſcelesti hominis adſerente. Eoſdem negotia, quæ habuiſſet in exteris, ut Italicæ opulentiæ res ſunt, conturbaſſe cum extremâ pernicie optimi viri. Cum conjuge proinde lectiſſimâ fœminâ Plotinâ è Carviliorum ſangvine tribuſq; liberis Teſtore, Dioxippo & Eugeniâ tunc ſeptem & decem annos natâ diſceſſûs conſilium iniiſſe. Ante abitum in Senatu expoſuiſſe, quæ ſibi ſuisq; duriſsima deniq; impenderent; ſi eo loco, qui ipſi cariſsimus ſit, perſiſtat. Niſi in patriâ in egeſtate afflictuſq; vivere, niſi lege prædiatoriâ aut ſua venire, aut ſe in vacuum pendere velit; aliò terrarum gentiumq; ſibi emigrandum eſſe. Non modò nihil Patres aut populum de priſtino amore, benevolentiâq; remittere viſos, verùm etiam lacrumis dicentem proſequutos, ac tamtùm non pervicaciam paucorum, qui plus in Rep. poterant, deteſtatos. Antricum itaq; Galliæ tranſalpinæ oppidum non ignobile conceſsiſſe. Eo in oppido ſeverioris notæ civem adhuc ſuperare Maſurium nomine, qui cum vetus hoſpitii jus Othoni fuerit. Illo ſvadente

dente, propter viri integritatem in Galliâ domicilium elegisse. Vix tertium ibi exegisse annum, cùm uxor diem suũ obierit, marcescentis stomachi vitio absumta. Pòst paullò ipsum maritum in vivis esse desiisse natu grandem & septuagenario anno minorem. Priusquam vitam reddidisset, filiis mandasse; ut pietatem ante omnia, deinde concordiam inter se colerent: pauca æris alieni reliqua præsenti argento dispungerent: trientem hæreditatis solidum sorori dotem relinquerent. Eam pecuniam fidei MasurI crederent: eidem sororem curæ fore, donec honesto matrimonio viro jungeretur, aut in nuptiarum jura transiret alter è fratribus. Ipsi attenderent, quid Terentiæ suæ commendârit Tullius de puero: mediocri virtute & fortunâ opus esse, ut cœtera consequatur. Abunde opum fore, quamtæcumq; eæ fuerint, quibus firmam virtutis possessionem acquirerent, Ea bona sibi ex asse compararent, quæ nulla tempestas, nulla injuria auferat. Necessariis inde valere jussis omnibus, animoq; ab omni transeuntium rerum curâ sevocato inter ardentissimas preces sanctissimum senem ad immortalitatem receptum.

Patris cadavere ritè sed absq; ullâ funebri pompâ (quod idem fieri præceperat) condito, Eugeniā in familiam Masurii abiisse, Dioxippum vicinam

Aureliam, Teſtorem Bononiam majoris doctrinæ adipiſcendæ cauſſâ profectos. Non mediocribus impenſis poſitis, çùm nuſquam literati muneris præclara occaſio fuiſſet, id tamen ſæpius prædicaſſe, immortales ſe patri debere gratias, qui de optimâ ratione in longitudinem conſuluiſſet ſuo generi. Equorum poſtea mangonio adjeciſſe animum alterum, gemmarum mangonem factum eſſe alterum; non parum induſtriam eorum adjuvantibus his ſtudiis, quibus dextrè incubuerant. Tritum hoc utriq; eſſe: ibi ſe patriam habere, ubicumq; bene ſit. Initiò in Heduis ſimul rem feciſſe, poſtea Inſubriam petiiſſe. At verò intellecto, quàm non omni loco pariter æſtimentur quævis artes, lucroſumq; ſit omne vitæ genus; ſubſiſtente Teſtore Dioxippum Venetias, hinc Romam, inde per Apuliam natalem majorum urbem Catinam perrexiſſe. Luſtratis gentis incunabulis Græciam, mariſq; Ægæi inſulas atq; ultrà Cyprum adiiſſe. Demum per Herculeum fretum circumitâ Hiſpaniâ reducem in Galliam contendiſſe. Maſurium ſororemq; cùm ſalutaſſet, diucule commoratum Teutoniæ commoda in votis habuiſſe. Quamprimùm veniâ hoſpitis ac ſororis licuiſſet; trajecto antè, quod inter Morinos Britanniamq; eſt, freto, divitiſq; inſulæ peculiari Orbe emenſo in ipſam ſe deportaſſe tamtopere

pere

pere expetitam Germaniam. Quam ubi bellis ab Oenotriâ gente deformatam, à suâ rapinis pessumdatam, futuram Gallo Hispanoq; prædam inter tot urbium ruinas atq; excidia circumsecus vidisset, ad hunc habitum regionis Reiq; Germanæ tamtâ nocte oppressæ ac penè conclamatæ exuto omni amore ejus in proximam Poloniam, doctam hodie nationem & moribus cultam, per Lygiorum confinia se contulisse. Nec Moschorum Borysthenidarum ditione abstinuisse, sed institutis barbari populi ac durissimo dominatui assveti offensum per amœnissimos Livoniæ agros in Borussiam viam venisse. Quoties Moschicam vernilitatem perstrinxisset, admiratum quid reponere possent ii, qui Rerump. ortus, incrementa, interitus, gentium mores, leges, omnia deniq; ad astra cœliq; domos & figuras referunt, quin imò ex iisdem rerum futurarum præsensionem sibi asserunt; si finitimi liberalisq; populi diversum regimen, ingenia, studia, immortalis deniq; Dei religionem objeceris. Forte fortunà oblatos sibi in Borussiâ dictitasse, quos inter carissimos locaret, Hircium cum Zamelio. Sanè, inquam, Dioxippus quàm à nobis redametur, testis sit ipse amor. Sed age dic, ubi caput tam dilectum nobis?

Tum ille renidens: quo loco sit, quo res ejus, ipse dicet: ac simul literas (quarum mentione hac-

tenus

tenus sibi temperaverat) expedit. Eæ nomen Hircii meumq; præferentes à rebus verbisq; erant tales propemodum: Si valetis, viri amici; & vobis & mihi gratulor: vobis, quòd hoc periculosissimo tempore ita imprimis liberis generiq; vestro expedire judicem: mihi, quòd vobis superstitibus virtutis fructum hoc jucundiùs percipere mihi videar; quò plures sunt, qui de eâ rectè sentiunt. Quamvis maria longinqua terræq; me vestro coelo separent, de vobis tamen sollicitus omnes, quotquot è Glessariâ huc appellunt, vestrâ causâ adeo: qui hactenus vobis latui. Patriam inveni Gothuniam; in qua macteas Italiæ etiam principum virorum recta ignorat simplicitas, secura interim fraudis & veneni illiti. Vbi nec crapulæ aut ventri deditum vulgus: proinde nec sceleri apertum contento labore spiritum frangit robusti pectoris. Quippe qui nunc domi rusticà supellectile parandà, vel ruri sæpe contumacem glebam vomere proscindendo, nunc sub terrà in fodinis puteisq; metallorum venas perscrutando sibi & patriæ utiles occupantur. Patriam, inquam, inveni: solam terrarum, in qua histrionicæ levitati locus datus non est. Vbi rudi penulà aut palliastro superintectus basilicas vicinarum urbium ingredior, nemine in risum vertente frugalis animi continentiam. Vbi nec hiemes

sæviunt

ſæviunt nimis, nec æſtivi dies caloris languent intemperie. Non ſum neſcius, mi Zameli, quid heic mihi obſtrigilles, cui nihil moderatius Drauſide Tuâ, ut Ariſtoteli Græciâ ſuâ. At proximas ſaltem hiemes patriæ Tuæ cogita: quarum immanitas tamta fuit, quamtam ab antiquiſsimâ memoriâ non ſenſiſſe fertur mea Gothunia. Vtcumq; ſit, plus heic remedii adverſus iſtuc malum, cùm à ſilvarum frequentiâ, quæ oppidis pagisq; ſua relinquit ſpatia; tum in ferarum pellibus, in quibus æſtimandis nondum inſaniæ modum habet diſsitarum gentium luxuria. Cæterùm ſi ad avitam nationis gloriam, æquè literis atq; armis partam, ſtupendæq; virtutis monumenta paſsim per inſulam erecta oculos animumq; convertas; nec invidiam facias populo, nec in ullà confuſarum alibi gentium hiſtoriâ par aut ſimile obſerves. Prædium in eâ mercatus ſum his facultatibus, quas genitor mihi ſummas eſſe voluit: iis nimirum, quæ fortunam Numen non habent. Ad Proceres admiſſus non ſine certâ ſpe tamti emolumenti dimiſſus ſum. Plura de me non dicam: quibus rebus animos illorum mihi devinxerim, ex aliis audietis. Ruſculum meum juxta maris littus inter duos extremæ altitudinis montes porrigitur; in terrena, colliculos, lacus piſcinasq; diviſum. Horum quodlibet

 bet

bet mihi ſatis ſuperq; fructuoſum: nec montes, quorum alterius faſtigium procul intuentibus in alterius jugum prominari conſpicitur, in noxâ. Quercubus enim, fagis, ornis, pinubuſq; aptis cùm porculationi, tum ædifidiorū ſubſtructionibus, igniumq; fomento arboribus abundant. Prætereo eam materiæ firmitatem & copiam, quam non ſolùm Dinolmia Tuſculanum meum, ſed univerſa Gothunia fabricandis myoparonibus, triremibus adeoq; onerariis navibus penè omnibus ſubminiſtrat; ut ſi ſola ejus egena foret, vix Orbi huic committerent alterum, qui mare tranſeunt. Nec piceâ carent nemora fundi mei: quæ ſi cum Brutiâ in contentionem veniat, optima vinariorum calculo audiat. Prætorium in medio agri ſi non auguſtum, ad vitam tamen hanc etiam honeſtè degendam ſufficiens. Sic ſtabula armentis oviumq; gregibus ſunt, ut in tuto ſit res pecuaria. Animus quidem demoliendæ villæ ut pote quæ in rimas deſederat, iterumq; pro habitu pecuniarum excitandæ ſuberat: ſed cùm architecti impoſturas penitius introſpicerem; vix in fundamenta ſuppeditabat, quod perducendo ad culmen operi deſtinatum erat. Ita conatûs illius ludibria quaſi plura majoraq; deliberans cautâ diſsimulatione tranſmiſi. Segetum fertile eſt ſolum, vervactis ſpem cultoris ſui numquam eludētibus

tibus. Lacus piſcinæq; refertiſsimæ omnis generis piſcibus maris opportunitatibus tamtò magis cedunt, quamtò magis portuum commoditas vicinas urbes & accolas ditat. Adde ſingulare villæ decus dirivatorium ſumtuoſam veteris domini fabricam: quâ non modò aream operaq; inteſtina exornavit, ſed hortos etiam poſt ædium conſepta in clivum procurrentes, frugiferisq; arboribus in quincuncem diſpoſitis decoros irrigavit. Ferinæ carnis aviumq; ſilveſtrium vulgari gentis induſtrià tamtum ſufficit, ut in familiæ alimoniam plus ſatis eſſe poſsit ea copia. Eſt præterea ſua doctis animis voluptas in montibus: gemino vertice is attollitur, cujus extimum latus Boreas verberat. Quorum hunc Parnaſſum, illum Citheronem Liberi etiam mediaſtini mei appellitant: qui erga iſtum eſt, Heliconis nomen à me vicinitatis conſenſu meruit. Hoc à veris illis differunt, quòd pro lauru juniperum nec ipſam inutilem aut Phœbo contemtam arborem producunt. Eadem mecum Terminalia facit Licinius Vrſinus parentum culpà perditis rebus Italià profugus, vir non fucatæ probitatis & modeſtiæ: quo utor multùm, ſæpe vocatu ipſius, cùm domo abeſſe licet, aut ſacrorum causà aut ſine malo. Nunc morem gentis promtà facilitate affectando, nunc omni genere popularitatis animos

 proſe-

proſequendo multitudinis, quæ circùm eſt, ſtudia incendo. Ad Braorum Axellorumq; magnatū favorem, ad quem multi non propter eorum inſolentiā ſed gravisſ: occupationes adſpirare non poſſunt, viam mihi patefecit gemmarum mangonium, & hoc ex me & reliqua mea ſtudia commendante Auſenio nobiliſsimo Regni hujus Muſagetâ, omniumq; amantiſsimo, qui literas amant. De ipſo nunc mangonio fortean quæritis: præſertim cùm habeat Gothunia, quo ſitim delicatarum mentium hac in parte expleat. Certè id otii à villicatione non ſuppetit, ut gemmarum mangoni mihi eſſe liceat. Nec colo nunc eas artes tot in universâ Europâ eas conſectantibus, in veſtrâ autem Boruſsiâ etiam promiſcuos ſcrupos micaſq; inter glaream ſtudiosè legentibus. Qui pro legitimis Adamantibus, Smaragdis, Achatis, Corneolis, Iaſpidibus (dum lithoglyptæ, qui poliunt, in ſuo lucro rem ſtrenuè promovent) meras nugas venditant. Nimirum cùm non deſint albæ mentes, boniſq; humeris emtores, qui fidem inſigni mendacio non ſine ſuâ jacturâ adſtruant; etiam ultro improbitati ſuccumbit obnoxia credulitas. Querebatur adhæc, nihil ſibi interea moleſtius fuiſſe loquacitate Grammatici cujuſdam: quem è ſuperiori Germaniâ advenientem Lare menſâq; participaverit. Eum ſæpenumerò

rò Regiã accesſiſſe flagitatũ, ut (quod in Germaniã impetraſſet) nulli præter ſuos ederentur libri Grammatici. Temulentũ paucis pòſt menſib extinctum eſſe, non domi ipſius, ſed Sideropoli in cellà vinaria. Rogabat deinde, ut ſi ire viſum volupe eſſet ipſum, qui noſter eſſet, quoad his rebus exiret; mare vernis Solibus tranquillum tranſmitteremus Auſtro ſpirante non multarũ horarum ſpatio. Poſtremùm excuſabat, quòd nimiùm epiſtolam extendiſſet nec quæſitioribus verbis nec ſententiis uſus in ea celeritate, qua navis expedita eſſet itura tempeſtivè in portum Drauſidos.

Lectis literis cùm prandiolo, quale è dapibus agrum non urbem colenti inemtis conſtare ſolet, villoq; Campaniæ ſub immodico æſtu hopitem accepiſſem, ſi ad Hircium mecum vellet, quæro: præter quod enim aliàs mihi condictum iter eò ſit, fore nuntium totamq; hanc rem gratiſsimam viro Dioxippi valde cupido. Annuit ille, an longè eo ſit interrogans. Hodie, inquam, antequam crepuſculaſcet, in HircI prædio Te ſiſtam bono cum Deo. Calore Solis igitur remittente adductisq; equis eos conſcendimus: nec dum noctis adventu dies expiraverat, cùm fundum Hircii ingreſsi ſumus. Quem licet malè pedatum tibiá ad ſideratæ arboris truncum offensâ inveniſſemus, cùm uterq; ſalutaſſet;

 ſet;

ſet; vultu ad hilaritatem compoſito non coactam, ſalve & Tu amicorum conjunctiſsime, ait, unà cum umbrâ Tuâ: quas non niſi Te & amore meo dignas adducere ſoles. Cui ego: imò ſi Dioxippus Tibi cordi eſt, nonnihil officii veteri ejus amico tribues. Ad hoc nomen familiariùs collocutus peregrino hoſpiti, quid de Dioxippo haberet percontatur? ille obiter quædam prolocutus literas ab eo ad utrumq; noſtrûm pertuliſſe commemorat. Cùm tradidiſſem, atq; is fronte & voce per intervalla favens perlegiſſet; quærebat utrum in cœnatione, an in horto ſub diductâ in brachia vite requieſcere mallemus. Placuit horti incomparabilis amœnitas, ſub jucundo nec Solaribus radiis perſtricto aere. Interea dum cibo reficimur & vino, quale Nyſæis in jugis ipſum conſeviſſe Bacchum crediderim, multum de Dioxippo exquirit Hircius, tum de villæ ejus poſitu, proximæq; regionis conditione, arvis, novalibus, & collinis in locis & paluſtribus; in ſermonē pòſt de arbuſtis, arundinetis ac ſalictis delapſus, nec bubuli equiniq; pecoris aut ovium deniq; fœturæ immemor. Cùm alta nox incumberet, ac mihi ex ſedentariâ fatigatione jam non invito ſomnus obreperet, hac lege dimiſit id rogitantem, ut triduum unàq; Hermogenes conviveremus in agro ſuo noſtris quisq; moribus. Nam quid me

in

in convictu offendere posset, exploratum habebat optimum nec in fastidio amicorum ludibundum caput; ignarus adhuc, quæ nausearet Hermogenes. Facile manendi legem mihi persvasit, ut qui vadimonium in urbe nullum constitueram: facile novo hospiti, qui cultissimi ruris delicias oculis nondum satis usurpaverat. Adjiciebat eâ morâ sese confirmaturum, comitem in reditu ad urbem futurum recipiens. Habere enim aliquas rationes purgandas cum improbo cive, qui salsamenti cannabiq; in rarissimos villæ usus plus ei imputet, quàm acceperit. Eum si inspicias, inquit, facilè quam nauci homo sit, colligas; oculorum orbibus non integre, nasi interstitio pleniùs extante, cœteris in facie omnibus fronte præsertim recedentibus, quasi in fraudum latibulum velante capillamento. Nec satis homini nefario obiter decepisse, nisi necessitates quasdam majorum affingat, quò non suspecta fide major sit furandi licentia. Altero tertioq; die nullas non fundi partes mecum obibat hospes Italus, lacus scaphâ, fossas saltu, montes cursu superando; vir etiam Clytoneo illo Homerico pedibus melior, in opere agricultionis nonnumquam occupato villæ domino.

Manifestâ insequentis diei luce, nec turbido sed lenissimis ventis gratùm frigido cœlo, ipsâq; tem-

pestate

pestate abitum hortante, jumenta insterni jubet Hircius, eamdem nobiscum facturus viam, ut promiserat. Iam admoti erant equi; cùm ecce supervenit senex Masurius è Galliâ. Qui agnito Hermogene statim in complexus ejusdem ruens, deinde in nos intuens salvete, ait, Dioxippi amantissima pectora: cujus si virtus præsidium sui non absq; pulcerrimâ accessione voluntatis vestræ invenit, & in hospitem ejus olim in Carnutibus non iniqui eritis. Cui Hircius: tamtum hæret in nostris fibris Dioxippus, ut bene esse velimus omnibus, qui hunc amant Ligurem. Octoginta annos vivendo excessisse videbatur meritissimus senex. Corporis animiq; vigor erat, qualis est mediam ætatem agentium. Quem læto adfectu notans Hircius mirificèq; prosequens domo invitat hospitem. Eâ exceptum dum in hortum ducit, scitatur is inter eundum ex Hermogene, nuperne è Gothuniâ venisset? salvusne sit Dioxippus? Adfirmante hoc, sub hospitali arbore aliquantum ex concussione equi, incertæq; & asperæ viæ tædio fatigatus consedit. Quærimus cœteri (nam Hermogenem non ignorasse putaverim) quæ caussa viæ viro non tam canitie quam annis obsito? Dioxippi, respondet ille, soror. Obsecrasse eum sæpe missis literis, ut non mitteret hanc, sed ipse eâdem navi adveheret: utq;

id vitæ, quòd supereſſet cum patris ſuoq; amico tranſigeret ex illâ copiâ; quæ ſatis ſit futura. Confidere dulcius mihi id eſſe nomen, quàm genitalis ſoli: quod, ſi qui genuère amiciq; deſint, inane ſit & inglorium. Diſtractis igitur prædiis, inquit, quamvis illâ tempeſtate pretium eorum retro abiiſſet; in hanc, ut videtis, viam me dedi. Quod meâ causâ non faciebam, niſi probitas iſtius generis prorſus perſpecta mihi fuiſſet. Inter alia ſummam puellæ modeſtiam celebrabat: eam tam anxiè cum conjuge, quæ nunc inter plures, habuiſſe; quàm mater unicam filiam. Ipſam non de parentum exilio deploraſse, ſed quæ etiam immerentes ſequitur, improborum calumniâ. Quoties Antrici Veneribus permiſta ſediſſet, inſtar Medéæ ſe comparaſſe, quæ gypſatiſsimis manibus (ut ait Comicus) Corinthiacis matronis perſvaſerat, ne ſibi vitio verterent, quòd abeſſet à patrià. Nempe nec ſuâ aut parentum culpâ id eveniſſe; ſed eorum, qui patris virtutes oderint. Celocem referebat negotii cauſsâ huc è viâ applicuiſſe navis magiſtrũ: quatriduo pòſt, quàm portum tenuiſſet, egredi conſtituiſſe: id in excenſu, ſi in Gothuniam vellent, edixiſſe. Si Dioxippi ſororem adduxiſti, interpello, ac in diverſoriam tabernam compegiſti liberalem mentem, nec ea inter meos eſt; ægre mihi erit

hoc

hoc facto. Et erat animus jam nunc excusandi istam audaciam, inquit: est domi Tuæ. Dum in his sumus, advolat puer Solem meridiē esse dicens, paratum prandium. Fervore sideris acriùs stimulante triclinium elegimus. Iussus est præire bonus senex Hircio monstrante tramitem. Si est, ut non nisi pransis ire libeat (facile enim & de nostro itinere in mentem venire poterat) maturato, ait, mihi opus est ad necessaria quædam expediunda, & quòd sollicitè reditum meum expectat Eugenia.

Mensis remotis, itum est: ac quanquam vergente in noctem die portam subiissent mecum, coci tamen sollertiâ cœna instructa est, ut rectam judicasset etiam nepotulus aliquis Apitii. Eugenia in decentem humilitatem se submittens deprecabatur, ut sibi ignoscerem, quòd meo tecto successisset: astruebat, pugnam pudoris fuisse cum officio, quod ab fratris amicitiâ esset. Ignaram beneficiorum, quæ Hircius mecum in eum contulisset, videri potuisse, non sine suspicione fraternæ ingratitudinis, qui in Carnutes inter alia non renũtiasset; nisi hanc sumsisset fiduciam. Quintus post vigesimum annum non minus moribus, quàm facie eleganti virgini abiverat. Tamtæ erant istæ dotes in succido corpore, ut honestissimum quemq; suâ veluti pellaciâ adverterent. Cùm extremo loco etiam infra liberos

beros meos accubuiſſet; ſcin Tu, ajo, à ſummo bibendum, ab infimo dandum eſſe ſvavium? Iam erit, qui Tibi oſculum ingerat accepti nobis adventûs Tui ſymbolum. Sic ſurgens partes juxta nutritium latus ejus claudens occupat. Cùm majori poculo, ut eſt Germaniæ conſvetudo apud recentes hoſpites, poſtulaſſem Maſurium; ſubridens ille miror, inquit, ſed procul cavillo, amiciſsime populi noſtri, in veſtris ſodalitiis etiam cogi ad potandum eos, qui nihil min⁹ ſentiunt, quàm ſitim. Non aliter, ſubjicio, quàm vos Galli ad ſaltandū impellitis nonnumquam eos, quos mæror conficit. Hoc vibrato in eam ſannam telo, riſu diſcuſſa eſt utriusq; gentis vanitas. Exin ſermone de Germanorum ritibus, civitatibus, principibuſq; earum ac Magiſtris inſtituto, ac tandem ad hanc uſq; provinciam producto; quos & quot in patriâ virtutis nomine colerem, Maſurius interrogabat. Si ad hoc me nomen alliges, reſpondeo, præter Appionem, Cajanum nec non Titurium, qui occurrunt, non valde multos Tibi ex iſto albo recenſeam. Etſi enim nulli præcluſa ſit virtus, ut paraſitatur eidem bonus Seneca; tamen quàm arduum ſit ejus iter, minimè Tu ignoras, integerrime ſenex. Poſtquam etjam ingruentem diem multâ nocte tranſactâ jucundè fregiſſemus, iterumq; illuxiſſet; Maſurius Her-

 moge-

mogenesq; cum puellâ collectis sarcinis navim abire parantem anhelabant: quos delibatis pridianæ cœnæ reliquiis cum nostris ad Dioxippum literis euntes ego cum Hircio inter longa vota ad portum usq; deduximus. Rescripsit brevi Dioxippus omnes incolumes secundis ventis pervenisse in Gothuniam.

Ne reliquæ vacarent pagellæ, placuit autori subjicere Epigrammata aliquot Lectoris gratiâ.

Ad Generos. & Magnif. Dominum IOAN. NICOD. AB AHAUSEN Regni Svet. Ordin. per Borussiam Commissarium.

VEnit Hyperboreis, ut fertur, classis ab oris:
Visere nostra Comes Gardius arva parat.
Siccine, Nicedama, referent hæc arma, quod opto,
Rureq; florebit dulcis oliva meo?
Si quid erit duri rigido sub Marte ferendum,
Dic illi hoc: Vati parce, Gradive, Tuo.

Ad eumdem.

QVid mihi cum veterum Papali more parentum?
Constat & antiquos desipuisse patres.

Inspi-

Inspicio fastos: Tua nomina, Iane, recurrunt.
Nulla tamen manibus vincula mitto Tuis.
Non bene serviles patitur mens libera nexus:
Nec suus est, quisquis brachia vincta gerit.
Vive Tuo ingenio, cui justa dat aura vigorem,
Arduaquo claræ munia gentis obis.
Ire jube famulos, pinguesq; innectere gallos,
Et figi si quis dapsilis anser erit.
Tale cadat pro Te genus inter vota Tuorum.
Pone merum: turbæ pars ero magna Tuæ.

OXenstirniadæ simul hic natalis amicâ
Luce ruit: nostrâ sospes it ille prece.
Dic animo, patriis qui se virtutibus implet,
Quàm non in nexus possit abire meos.
Hunc vincire, sibi qui tot devinxerit urbes,
Esse probum sanâ mente Poeta negat.

In Mergam puellam.

SI patrias sprevi natasq; hoc rure puellas,
Luminibus spreta es, Merga puella, meis.
Sed mea Drusicolas laudarunt carmina nymfas:
Hoc Merga, ~~hoc~~ in numero Te tamen esse nego.
Merga, aliquid crudi naturæ dotibus hæret.
Pulcra licet facies sit Tibi, more rudi es.
Sæpe illud puero dixi, quod rarior hospes
Audiit, & potuit discere tota domus.
Me potiùs tumulo referas, ô nate, superstes;
Quàm thalamos intret rustica virgo meos.
Vt desint curæ, quæ pectora nostra fatigent;
A consorte rudi caussa doloris erit.

Responsio ad

Excell: D Georgium Lothum

Ph. & Med. Facult. Seniorem in Acad. Reg. Archiatrum Elect. Brandeb. in Borussiâ &c.

QVisquis es ô superûm, sinceri præses amoris,
Seu gens Te Fidium ritè Latina vocat,
Seu Grajo meliùs Philium Te nomine dicam,
Audi non vanis verba profusa labris:
Ara mihi sint hæc dextræ monumenta Lothéæ,
Heic ego procumbo, polliceorq; fidem.
Ite rudes elegi, quos incitus extudit ardor,
Et mea vota meo reddite, ferte Lotho.
Noster erit, nostri pars ille erit altera cordis,
Donec in hoc aliquis corpore sangvis erit.
Donec erit, gelidos animet qui spiritus artus,
Tangetur nostrum pectus amore Lothi.

De novis è Sveciâ copiis.

NOn ita fulmineos condet Mars improbus enses,
Vertet & in falces arma cruenta faber.
Quamta manus Gothicis iterum descendit ab agris!
Quale decus populi militiæq; ducis!
Credibile est, vitreo stupuisse sub æquore Nymfas;
Cuiq; maris regnum est, hunc tenuisse gradum;
Cùm ratium moles vidêre tot arma ferentum,
Tot Gothici Regni signa, tot ora virûm.
Tu tamen ex alto Pax aurea prospice cælo.
Bellorum ardentes Tu premis una faces.

Ad

Ad Sereniss: ac Potentiss:
Sveciæ Reginam:

O Dea, cui gelidi fasces Pater asserit Orbis,
Tune potes teneris bella jubere labris?
Tune potes virgo tetricas armare cohortes,
Inq; Tua excitos cogere castra duces?
Sarmaticum malles in fœdera mittere Regem:
Mallet & hic. Sed vos fata diiq; regunt!

Ad Gotofredum filium.

VIsneri ad limen nostri, puer, ibis amici:
Quà Tua sunt pupo nomina facta novo.
Quà Tata jam patri Gotofridulus ore tenello,
Iam matri dicet Mamma, sinumq; petet.
Sæpe Tui vises, fili, cognominis ædes;
Seu violas illi liliaq; alba feras,
Sive rosam portes, patrio quam fregeris horto,
Et referas pueri de patre poma, nuces.
Tale Tuum officium non utilitate carebit.
Qualis amor patrum est, stirps mea, vester erit.

Ad famulum.

PLanta peregrinis Italorum notior hortis
Nunc & in arbusto surgit oliva meo.
Nonne vides, sumtis ut se Mars jactet in armis?
Pacis ut exoso nomine bella crepet?
Velle, puer, teneram; licet hoc comprendere fundo
Cœperit, eductam Martia turba premet.

In

In Catillum Grammaticum.

Est macer, & toto contabuit ore Catillus.
Gilvæ vocat Medicos. Nam putat esse febrim.
At vos sollicitis ne longius erretis amici.
Debet & expensis parcere Gilva suis.
Grammaticos ausus veteres lacerare Catillus
Quæsivit post Z grammata. Sic macuit.

Iano Erixonio Gotho, viro doctiss:

Sunt quæ sub solâ fiunt sinceriùs Arcto:
Qualia promissis jam puto nostra Tuis.
Quæris, Erixoni, quæ sint ea munera? dicam.
Res est exiguo pondere, caseolus.

In Cossum Grammaticum.

Grammaticus cùm sit genitus patre Cossus avoq;
Grammaticis, altum jactat ubiq; genus.
Sic puto patris avum jactavit Pyrrhus Achillem,
Alcidenq; satum de Iove matris avum.
Hec, Cosse, altorum stirpem se dicere Regum.
Sordida majores turba fuêre Tui.

In quemdam.

Libera mens non est nummis adjuta patroni.
Novi ego Te sumtu nil didicisse Tuo.

In Falconem Rhetorem.

Orationem Falco Rhetor edidit.
Partem illius de Plinii transscripserat
Panegyri: de Tullii partem alteram
Ligario. Fabii est, quod ultimùm assuit.